



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In D. Petri Apostoli Epistolam Vtranqve, Heinrychi Bullingeri Commentarius

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1534

Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36052

In hac præter cõmunem morem, Pax (ait) multipli-^{Pax} cetur: nimirum quod ibi animi pace securitateq; opus est, ubi mala præter solitum affligunt hominem. Huc pertinet illud Saluatoris dictũ, In mundo afflictionem habebitis, in me uero pacem.

EXPOSITIO.

Laudandus est Deus & pater domini CAP. I.
nostri Iesu Christi, qui iuxta suã copiosam misericordiã regenuit nos in spem ciuam, per hoc quod resurrexit Iesus Christus ex mortuis in hæreditatẽ immortalem & incontaminabilem atque immarcessibilem, conseruatam in cõelis erga uos, qui uirtute dei custodimini per fidem, ad salutẽ, quã in hoc parata est, ut patefiat in tempore supremo.

Expositione inuit negotium, gratulationeq; in animos sese insinuat auditorũ. Summa omnium istorum in hoc est. Laudandus est Deus qui misericordia sua per Christum redemit nos à morte uitamq; nobis donauit æternam. Copiosius autẽ persequitur membra singula, partim ut ipsum Dei beneficium cõmendaret, partim ut cõsequenti argumentationi uiam sterneret commodam. Principio laudandus est Deus inquit, Sacrificiũ
Laudis enim sacrificium noui populi, gratissimũ Deo laudis.

COMMENT. IN I. EPIST.

Dei nomi-
na.

sacrificium est, quo si quis non litarit, nequaquam no-
mine Christi accensendus erit. Deinde per exposi-
tionem subiungit, quis sit ille Deus, nimirum pater
domini nostri Iesu Christi. Qua sententia diuinita-
tem Christi & personarū demonstrat subsistentiam.
Et nomina siue appellationes Dei, essentiam Dei nō
circumscribunt pleneq; nobis referunt, sed aliquo
modo & formula quadam captui humano commoda
efferunt. Iam & Deum esse aliud nō est quā bene-
ficum, benignū, bonum, auxiliarem, deniq; & uitam
& conseruatore esse omnium. Cum ergo istam suam
beneficentiā & opes ineffabiles tum maxime mundo
prodidit, cum filium unicum in mundum misit, non
abs re dicitur pater domini nostri Iesu Christi, utpote
qui se in Christo maxime Deum, id est benignum &
seruatore ostenderit. Sed ipse Petrus dilucidē iam
addit causas cur sit laudandus, in quibus simul &
Diuine nature declaratur indoles. Dicit enim, Qui
iuxta copiosam suam misericordiam regenuit nos in
spem uiuam. Propterea (inquit) laudandus est Deus,
quod nullis nostris prouocatus meritis, mera et natius
bonitate sua ductus, nos à morte eterna reuocauit ad
spem uite immortalis. Hæc uero euangelij summa &
scopus est. Vide autem quā grauibus uerbis efferat
singula. Misericordiae appositum addit epitheton,
copiosam aut multam aut diuitem appellans. Pra-
pheta

Misericor-
dia Dei.

pheta enim, Miserator (inquit) & misericors Dominus, longanimis & multum misericors. Non in perpetuum irascetur &c. Psal. 102. Deinde multo uiuidius est, Regenuit nos in spem uiuam: quàm si dixisset, Restituit nobis uitam. Principio enim Regene-^{Renascentia.}
randi uerbum commonet nos nostræ infirmitatis & miserie. Genuerat nos Adam, sed ad mortem. Natura enim filij iræ sumus. Regeneratione ergo opus ijs qui filij heredesq; Dei esse debebant. Hanc uero renascendi potestatem fecit Deus omnibus in Christum credentibus: ut diligentius excutitur apud Ioannem in capite primo & tertio. Deinde plus dixit, Regenuit nos in spem uiuā: quàm si dixisset, Viuificauit: non tam quod orationis genus dicendiq; figura augustior est, quàm quod ipsa res sic enunciata nescio quid magni spirare uidetur. Iam & modum & rationem ostendit per quam simus renati in spem uiuam, nimirū per id qd' Deus filiū excitauit à mortuis. Resurrectio sanè cōprehendit totum Christi myste-^{Resurrectio.}
rium. Resurrectione enim declaratur orbi quod peccatum sit expiatum. Nisi enim peccatum expiasset Dominus, præualuisset mors peccati poena. Reuixit aut' Dominus, proinde & mortem & peccatum aboleuit: non quod non sint, sed ne fidelibus noceant, qui iam per uiuificam Christi resurrectionem discunt uitam parem ipsis esse paratam. De qua multis in

Immortas
litas.

1. ad Corinth. cap. 15. Porrò hic mira uerborũ turba
miro incremento loquitur de æterna uita per Christũ
nobis parta, quam iam ante uocarat Spem uiuam.
Nunc enim hereditatem uocat immortalem, Græce
ἀφθαρτοῦ incorruptibilẽ, tacita collatione hanc hæ-
reditatem cunctis in orbe præmijs præferens. In hoc
sæculo nihil tam firmum pulchrum & desiderabile
est quod incorruptionis sit expers: hæc sola spes ui-
uifica & immortalis est. Reliqua duo Paraphrastes
sic interpretatus est, Manet illa nos fœlix hereditas,
quæ neq; tædio molestiæue contaminari, neq; senio
sitũue marcessere possit. Apparet autem postremam
metaphorã sumptam esse à floribus. Ad superiorem
amplificationem pertinet & sequens, Conseruatam
in cœlis erga uos. Hoc autem & excellentiã & cer-
titudinem salutis declarat. Quasi dicat, Nec est quod
metuamus, ne quis hanc interuertat, aut eã nobis præ-
ripiat hereditatem, aut humanis æstimet sensibus,
cœlestis et diuina est. Paulus in Collossen. hanc ean-
dem rem alijs uerbis ita eloquutus est: Emortui estis,
& uita uestra abscondita est cũ Christo in Deo. Et
ad Philippen. Nostra (ait) cõuersatio in cœlis est, ex
quo & seruatorẽ expectamus Dominum Iesum Chri-
stum, qui transfigurabit corpus nostrũ humile, ut con-
forme reddat corpori suo glorioso &c. Proinde spes
nostra, hoc est hereditas nostra cœlestis est, æterna.

Hebræis
abscondere
est serua-
re, ergo
abscondita,
id est ser-
uata.

Exuti enim mortali hoc corpore ipsum numen in sua
 substantia uidebimus, in sua specie, cumq; uniuersis
 dotibus opibusque suis, fruemurque his omnibus non
 parce, sed ad facietatem, non ad fastidium, quod ferè
 comitatur saturitatem, sed ad iucundam impletio-
 nem: quæ quidè minus afficitur tædio, quàm flumina,
 dum perpetuo in mare influnt & per terræ abyssum
 refluunt, nullum adferunt hominibus tædiū, sed com-
 modum potius & gaudium, semper rigando letifi-
 cando ac noua germina fouendo. Et Seneca de hac
 alibi multo foelicius Theologastris quibusdam disse-
 ruit. Sequitur nunc occupatio, Si enim brauium fœ-
 licitas & beata uita in coelis conseruata est, quid in-
 terim nos in terris? quæ hic nobis spes habenda?
 Custodimur (inquit) uirtute Dei per fidem, ad salu-
 tem. Multa hic nobis mala perferenda pietatis no-
 mine: sed uincunt sancti fide quæ uirtus Dei est. Nam
 & Ioannes, Hæc est uictoria (ait) quæ uicit mundum
 fides uestra. Fides in aduersis animat, confirmat, con-
 solatur, erigit & ducit, ne uspiam impingamus, aut si
 ruere cœperimus, non corruamus, saluteq; exciden-
 tes collidamur. Proinde dum in humanis agimus nulle
 induciæ, nulla pax speranda est. Caterum ubi foelici-
 ter hanc absoluerimus militiam, tum corona ista im-
 marcescibilis in cælis reposita imponitur uincētibus.
 Id quod Petrus sic extulit, Quæ in hoc parata est, ut

De æterna
 uita.

Sic delat-
 bitur ad
 patientiam

Corona
 immarces-
 cibilis.

B

COMMENT. IN I. EPIST.

patefiat tempore extremo. Extremum autem tempus anime respectu est, quum ex humanis excedimus: at respectu finis rerū omnium, quum corpora resuscitantur ad iudiciū: tum enim eternum & animo & corpore uiuent sancti, impij perpetua morte peribunt. Non potui hic non annotare Paraphrastis uerē aurea uerba, ista, Nunc latent premia & sēpe iuxta uulgare estimationē peius habent qui meliores sunt, & perire uidentur qui maxime sunt incolumes, & florere uidentur qui maxime pereūt. Hic exercendæ pietatis tempus est, premio suum præscriptum est tempus, quod nō oportet anteuertere. Nobis interim sit satis, quod æterna fœlicitas nobis est in tuto, quam nullus hominū aut demonū possit intercipere, modo ne nos deficiat fides, qua neglectis rebus mortalium, toti pendeamus à cælo. Sint interim feroces qui Deo rebelles, fidūt mundi presidij, insultent interim: cæterum ubi uenerit illa dies uersis in diuersum rerum uicibus affligentur illi, uos exultabitis uictores.

in quo exultatis, nunc ad breue tempus, si necesse sit, afflicti in uarijs experimentis, quo exploratio fidei uestræ, multo preciosior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem & gloriam & honorē, tum cum reuelabitur Iesus Christus.

Funda=

Fundamentis per superiora iactis, captisq; beati Patientia
 tudinis eternæ desyderio lectoribus, superstruit nunc
 patientiæ præclarum ædificium, per præmia & cœ-
 lestia bona ad ipsam adhortans. Diximus autem in
 argumento Patientiam frequentem & celebrem esse
 huius epistolæ locum. Ad hunc porrò modum cohæ-
 rent singula. Dixit immarcesibilem coronam nobis
 esse in cœlis repositam. Huic iam subiungit, In quo
 (ἄγαλλιάσθε) exultatis, uel (imperâdi modo) exul-
 tate, *Deß jr üch fröuwen vnd trösten söllend.*
 qui nunc aduersam fortunam experimini. Ceterum
 ut breuitas docta argumentatione est referta, ita hic
 aliud quoq; à temporis breuitate intertextitur argu-
 mentū. Habent mala singula, quantumis magna sint,
 finem suum: & totum hoc quod uiuimus tempus
 quàm breuissimū est. Mala itaq; minus diuturna sunt.
 Pulcherrime enim Seneca, Propone (ait) profundi Breuitas
 temporis uastitatē & uniuersum cōplectere: deinde uitæ.
 hoc quod etatem uocamus humanam, compara im-
 menso, uidebis quàm exiguū sit quod optamus, quod
 extendimus. Ex hoc quantum lachrymæ, quantū so-
 licitudines occupant, quantum mors antequam ueniat
 optata, quantum ualetudo, quantum timor, quantum
 teneri aut rudes aut inutiles anni? Dimidium ex hoc
 edormitur. Adijce labores, luctus, pericula, & intel-
 liges etiam in longissima uita minimum esse quod ui-

COMMENT. IN I. EPIST.

Afflictio
sancta.

uitur. Adicitur & aliud nō minus iucundū & con-
solatione plenū, si necesse sit. Quasi dicat, Si exigat
negotium ipsaq; salus nostra, breui finiet afflictiones
Dominus. Fidelis enim Deus qui non sinit nos tentari
supra id quod possumus. Vel, Afflicti, si opus sit, id est
non afflixerit Dominus nisi prosit uobis afflictio. A
caussa ergo ductum argumentū. Declaratur autē isto
eos errare plurimū qui crucem siue afflictionem inter
summa infortunia primam numerant: uel non expe-
ctata Dei sententia sibiipsis imponunt crucem. Hoc
enim crede, si necesse sit, Dominū non obdormiturum
res tuas: tu magis curaueris ut ad afflictionē tuam pa-
tienter feras manum eius, siue ipsa crux multo siue
paucō sit ferenda tempore. Ad ἔξουθενισμὸν illud
pertinet, quod afflictiones iam experimenta uocat,
ab utilitate argumentans. Locus autē præsens à Paulo
elucidatus legitur ad Roma. 5. Gloriamur super affli-
ctionibus, sciens quod afflictio &c. Nam notissimus
aliās locus. Quin & consequens ὁμοίως ἰσ de auro
& igne facit ad expositionem loci præsens. Quod
enī ignis est auro, id afflictio est fideli. Aurū igne nō
deperditur, sed probatur purgaturq;. Proinde affli-
ctionibus non perduntur fideles, sed excoquantur, in
hoc, ut sinceri sint in fide. Recte ergo afflictiones
uocauit experimenta. Ductum est & hoc argumen-
tum ab utilitate, sed exornatū collatione et allusione.

Confertur

Confertur enim auro fides, quæ & ipsa ut aurum probatur, atq; hac re auro similis est, sed auro nobilior fides. Aurum sanè preciosissimum est in rebus mortalium, sed longe excellit fides, quæ rerum æternarum est, cum illud caducum sit, res alioqui perdita & peritura. Erasmus in Chiliad. ὁ χρυσὸς τῷ πυρὶ (ait) δοκιμαθεῖς, Aurum igni probatum dicitur is cuius fides rebus aduersis explorata spectataq; est. Vsurpat hanc collationem & D. Petrus apostolus epistola priorè πολλὸν τιμιώτερον χρυσῶν τοῦ ἀπολλυμένου διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου. id est, Multo preciosius auro, quod perditur, siue auro pestifero, quod tamen per ignem probatur. Est autem hoc auro non citra miraculum peculiare, ut ignis non solum nō fiat deterius, sed magis ac magis enitescat. Itidem is qui uere bonus est obiectis malorum procellis illustrat animi uirtutem, non amittit. Et quæ sequuntur. Hactenus enim Eras. uerba retulimus. Allusum quoq; ad literas sanctas. Nam Psal. 65. Quoniam probasti nos Deus (inquit Dauid) igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Item Zachar. 13. qui locus maxime huc pertinere uidetur, legimus dixisse Dominum, Et couertam manum meam

COMMENT. IN I. EPIST.

ad paruulos, & erunt in omni terra, dicit Dominus. In duas partes diuidentur & deficient, & tertia pars relinquetur in ea, & hanc ducam per ignem & excoquam eos sicut excoquitur argentum, & probabo eam sicut probatur aurum. Porro id totum (iam iterum defleat ad utile) in hoc fit, ut quod hic uidebatur illatum ad dedecus, cedat in laudem gloriam et honorem. Habet autem uirtutem uerborum congeries, eximiam significans fore sanctorum gloriam, non in hoc mundo, sed tum cum apparuerit saluator Christus. Ioannes enim, Scimus (ait) quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Et Paulus, Transfigurabit corpus nostrum humile, ut cōforme reddat corpori suo glorioso. Item, iustum est apud Deum, reddere ijs qui affligunt uos, afflictionem & uobis relaxationem, &c. 2. Thessalonicen. 1. Hactenus animauit afflictos nomine fidei ad patientiam: potissimum autem spem futurorum bonorum proposuit, quæ ut sola fide percipiuntur, ita patientia sola fide animatur.

quem cum non uideritis diligitis, in quem in præsentia, cum non uideatis, credentes tamen exultatis gaudio ineffabili & glorificato, reportantes finem fidei uestræ, salutem animarum,

Nunc

Nunc ergo de ingenio fidei paucula hæc obiter
 inserit, ut aditum simul ad approbationem certitudinis
 fidei paret. Caro experimenta poscit & uisibilibus hæret:
 Fidei autem natura est rebus inuisibilibus, hoc est æternis
 & diuinis hæere. Paulus enim ad Hebræos undecimo, Fides
 (inquit) est substantia rerum sperandarum, argumentum eorum
 quæ non uidentur. Vbi plura de natura fidei annotauimus.
 Certè Petrus paucis fidei uim & effectum comprehendit.
 Principio enim adimit illi sensum animale & obiectum
 uisibile, substituens spirituale & internum adeoq; celestem
 sensum, qui nititur rebus & uerbis Dei æternis. Christum
 (inquit) non uidistis, sed in presentiarum, hoc est, in mundo
 oculis carnalibus. Aliàs enim nemo nescit & fidei suos
 esse oculos. Nam in Galatis dicit Paulus, O stulti Galatæ,
 quis uos fascinoauit, ut non crederetis ueritati? quorū
 ante oculos Iesus Christus $\omega\rho\epsilon\gamma\rho\acute{\alpha}\phi\eta$ adumbratus, inter
 quos et crucifixus? Hac ratione adest et uidetur Christus
 in Cœna illa mystica, quæ si tantum pane & uino cõmuni
 et prophano (ut sic dicam) instructa esset, iam neq;
 Cœna mystica neq; Cœna Domini dici posset. Iam
 quæ fides comprehendit, uerè comprehendit, uera enim
 non falsa comprehendit. Proinde cum in cœna Domini
 fidei oculis cõtemplamur, uerè utiq; adest in cœna
 Dominus, uerè inquam

De natura
 fidei.

Christus
 in cœna
 cõtemplatione
 fidei

COMMENT. IN I. EPIST.

ut fidei poscit natura. Quod ergo alij sub uoce Verè
 corporaliter aut carnaliter subingerunt, de suo con-
 tra fidei naturam adijciunt. Fides sanè orthodoxa
 credit Christum Dominū incarnatum, in carne mor-
 tuum & resuscitatum, ascendisse cœlos, sedere ad
 dexteram patris, inde uenturum iudicare uiuos &
 mortuos. Igitur quoad in hoc mundo agit fidelis, non
 uidet aut attingit aut manducat Christum corporali-
 ter, id est carnaliter, sed magis spiritualiter. Siquidem
 ipse Christus apud Ioannem de uera iusticia & fide
 differens ait, Spiritus sanctus autem arguet mundum
 de iusticia, quia ad patrem uado, & posthac non
 (Θεωπεῖτε) uidetis, id est uidebitis me. Sed de hac re
 alijs. Deinde fides uera efficit in cordibus fidelium
 dilectionē cum Dei tum proximi. Hinc enim Petrus,
 Quem cum non uideatis (ait) diligitis. Et Paulus ad
 Galatas 5. In Christo Iesu neque circumcisio neque
 præputium quicquam ualet, sed fides per dilectionem
 ἔνεργουμένη efficax aut agens. Ioannes quoq; dile-
 ctionem proximi ex dilectione Dei æstimans dicit,
 Si quis dicit diligo Deum, & fratrem suum odit, men-
 dax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem ui-
 dit, Deum quem non uidit quomodo potest diligere?
 Præterea pacem & gaudium parit fides in pectori-
 bus fidelium. Nam Petrus, Credentes tamen exulta-
 tis gaudio, nec uulgari, sed ineffabili & glorificato,
 id est

Tempus
 pro tempore.

Dilectio.

Gaudium.

id est defecato. Gaudia enim mundi uaria disturbant
infortunia: at gaudium fidei nemo hic interturbat.
In hoc gaudio omnia pericula contemnentes sancti
per patientiæ & uirtutum tramitatem constanter
pergunt ad uitam. Nam fidei finis est æterna uita.
Petrus enim, Reportantes (ait) finem fidei uestre sa-
lutem animarum. Ita oportuit & Christum pati &
ingredi in gloriam suam. Et in Actis legimus Paulum
exhortatū fuisse Antiochenos & Lystranos Iconien-
sesq; ut perseuerarent in fide & quod per multas
afflictiones oporteat intrare in regnū Dei, Acto. 14.
Iam ut fide nil uerius certius & constantius est, ita
fine eius æterna uidelicet uita nil certius uerius præ-
sentiusq;.

de qua salute exquisierunt & scrutati
sunt prophetae, qui de uentura in uos
gratia uaticinati sunt, scrutantes ad quē
aut cuiusmodi temporis articulum sig-
nificaret qui in illis erat spiritus Chris-
ti, qui priusq; acciderēt testabatur uen-
turas in Christum afflictiones, & quæ
essent consequaturæ glorias.

Duo simul hisce absoluit. Differit enim de fidei
nostræ ueritate ac certitudine, ne afflictī timerent se
pati propter causam siue doctrinam prauam. Sed
& prophetijs & Christi exemplo docet, non nisi per

COMMENT. IN I. EPIST.

aduersa patere aditum ad felices beatasq; sedes. Paraphrastes ista paucis quidem, sed dilucidissime (ut aliàs ferè omnia) exponit, hisce uerbis, Ingens lucrum est cum iactura caduci corporis seruetur immortalis anima. Sic uisum est eterno consilio Dei, ut his rationibus salutem consequerentur homines, quibus & Christus ipse peruenit ad eternam beatitudinem. Neq; enim hæc fortuito geruntur, sed quod nos factum uidimus id prophetae ueteres, qui multo ante nos uaticinati sunt fore, ut per fidem & euangelicam gratiam absq; legis Mosaicæ præsidio seruariemini, diligenter exquisierunt & scrutati sunt, non contenti tanquam per nebulam uidere, quod esset futurum, sed illud quoq; pia curiositate sciscitati sunt à spiritu Christi, qui iam tū illis arcano afflatu significabat qd esset passurus Christus, ac mox ad quantam gloriam euehendus, quo uel quali tempore id esset futurum: siquidem ingeni desyderio salutis huius tenebantur illorum animi. Tantum Paraphrastes. Sunt autem nobis singula exactius & diligentius excutienda. Nā hic locus maxima firmamenta & mysteria fidei nostre continet. Principio quod attinet prophetarum dignitatem & auctoritatem, non possum satis mirari quorundam crassam inscitiam & temeritatē blasphemam, qui cum in prophetis sint inexercitissimi nec in literis apostolorum magis docti, audent tamen sibi

Vnus est
spiritus
ueteris &
nouæ testamēti.

censo

censoriam uirgulam in pietatis negocio sumere, pronun-
 ciantes duos esse spiritus, duo testamenta, & du-
 plicem populum: fortassis addent aliquando ex Cer-
 done hereticissimo monstro duos etiam Deos, alte-
 rum quidem cum priore seculo crudelius, alterum
 uero cum posteriore mitius agentem. Quam sen-
 tentiam opinionemue impiissimam planè multis in
 Marcione persecutus est eruditissimus Tertull. doctis
 in illum libris editis. Equidem fateor diuersorum spi-
 rituum, testamentorum, duplicisq; populi mentione fieri
 in sacris: sed longe alio sensu quam isti intelligant.
 Isti protinus clamitant ueterè ecclesiam prorsus fuisse
 carnalem, Christi ecclesiam nouum esse populum,
 nempe spiritualem. Vetus ergo testamentum carnale
 esse, nouum autem spirituale. Proinde & spiritum
 nouum esse datum nobis, de quo scriptum sit, Spi-
 ritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat
 glorificatus. Item, Nescitis cuius spiritus sitis. Cete-
 rum non expendunt isti populi Iudaici Testamenti
 & Legis datæ rationem uim & institutum. Ab ini-
 tio nullus uel Adæ, Enoch, Noë uel ipsi Abrahæ Religio antiquorū
 præscriptus Ceremoniarum ordo. Primi seculi ho- patrum.
 mines nitebantur pollicitationi primis factæ paren-
 tibus, Semen mulieris calcabit caput serpentis. Ab-
 rahæ uerò & posteris in pauca quedam capita
 tota religionis summa est coniecta, in hanc nempe,

COMMENT. IN I. EPIST.

Ero Deus tuus & seminis tui post te, Deus inquam
 omnisufficientia siue copie cornu. Dabo tibi semen,
 illud uidelicet quod caput serpentis calcabit, in quo
 omnes gentes seruabuntur. Tu uero ambula coram
 me & sis integer. Id uero totū quid erat aliud quā
 quod nobis in Christiana fidei summa dicitur, Deus
 nostri misertus filium suum in mortem pro nobis de-
 dit, ut eius morte seruati & docti posthac uiuamus in
 nouitate uitæ? Hactenus ergo unus est spiritus &
 unum testamentum utriusq; populi. Porro ubi uetus
 illa Adæ Abrahæ & omnium ab ortu mundi sancto-
 rum fides & religio in posteris cōiuctu Aegyptiaco
 obliterari incēpisset, idololatria & corruptis Gen-
 tium moribus ceu cōtagione uitiatas Iudæis, per Mo-
 sen educti in desertum, ibiq; ad montem Sinai intra
 ueteris religionis metas ac carceres inclusi sunt Lege
 scripta. Hæc tabularum erat, ipso Dei digito inscri-
 pta, quæ & authore Christo & apostolis aliud nihil
 quā amorem Dei & proximi, hoc est, ea ipsa re-
 ligionis capita, quæ supra Abrahæ diximus esse data,
 comprehendit, quæ & ipse Dominus Iesus & apo-
 stoli eius prædicatione & scriptis docuerūt. Hacten-
 us ergo spiritus iterum unus, testamentū quoq; idem
 utriusq; populi. Iam uero cum ne lege quidem scripta
 & absolute omnia quæ ad beatam & honestam ui-
 tam sufficere uidebantur cōprehendente tradenteq;
 intra

intra ueræ & auitæ religionis limites coninerentur, ipsis subinde tumultuantibus & ad Aegyptiacos mores deficientibus, circumscripti sunt & statutis ritibusq; quibusdam Sacrorum, quos generali uocabulo nominamus Ceremonias. Hæ ritu quidem & agendi modo carnales sunt, significatione autem spirituales. Porro ipsa lex quæ uoluntas Dei est spiritualis est: quatenus ergo carnalis, respectu hominum non Dei carnalis est, & iccirco ea parte qua carnalis, non est de substantia (ut aiunt) legis. Neq; uero & sancti ceremonijs quicq; tribuerūt. Id cum multis astrui possit prophetarum & historiarum testimonijs, unico tamen sed eo per quàm claro et efficaci Ieremiæ comprobabimus testimonio. In 7. ergo cap. dicit, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël, Holocaustumate addite uictimis & uestras carnes edite: quia nō sum loquutus cum patribus uestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de uerbo holocaustumate & uictimarum: sed hoc uerbum præcepi eis, dicens, Audite uocem meam & ero uobis Deus & uos eritis mihi populus, et ambulate in omni uia quam mandauit uobis, ut bene sit uobis. Quid uero bis super hac re dici potuit planius? Videmus ergo Deo, tum quoq; cū ceremoniæ summo essent in precio & usu, spiritualement fuisse ecclesiā, carnalem uero nō minus tunc quoq; quàm nunc exosam. Vetus igitur

und fräse
send üroet
fleysch
selbs. Nō
esurio.
Psal. 49.

COMMENT. IN I. EPIST.

Confale
Galat. 4.

tur populus popter figuras & res istas significatiuas,
non à substantia, sed magis accidente Legis dictus est
carnalis aut uetus populus. Quis autem tam uacors
ut nunc colligat, ergo tota lex carnalis, ergo populus
uetus carnalis. Tunc enim nō minus quàm nunc spiri-
tualis & carnalis erat populus. At turbatores nostri
neutrū admittunt. Nam ut ueterem ecclesiam pror-
sus carnalem faciunt, ita contra Paulum 1. Corinth. 10.
nostram ecclesiam carne exemptam, prorsus spiritum
esse uolunt. Sed redimus. Vnus fuit spiritus sancto-
rum in lege & ante legem. Ceterum in lege multi
erant qui neglecto legis spiritu literam sequerentur
occidentem, ij autem dignas luebant poenas. Horum
ergo respectu, quin et figurarum caussa pollicebatur
Dominus spiritū & cor nouum, legem & testamen-
tum nouum: non utiq; nouum & alienum à primario
Abrahæ testamento, aut diuersum à sanctorū spiritu,
sed eundem, & hoc uno abundantiorē quo presen-
tiora nobis sunt ea, quæ sancti ueteres expectabant.
Eundem ergo spiritum nobis dedit & alium siue no-
uum. Eundem quia eadem religionis summa: & aliū
siue nouum, quia alio modo & palàm se iam aperit
diuina bonitas, adimplens ipsa re per filium incarna-
tum omnia quæ ab auis nostris auisq; promissa. Vides
iam unde enate sint appellationes ueteris & noui te-
stamenti & populi, et quod attinet ipsam testamenti
& legis

Confer
hæc cum
31. Iere
mix.

et legis substantiam idem sit utriusque populi spiritus. Si enim omnino diuersus esset, iam Christus et apostoli perperam nobis Abraham et ueterum exempla, imò ipsam fidem proposuissent imitandam. Petrus certe spiritum prophetarum palàm hoc in loco spiritum Christi nominat. Apud Lucam durius excipiens *Lucæ 9.* intempestiuam discipulorum uindicandi cupiditatem Dominus, non damnat Helie factum aut spiritum, cum et Baptista dicatur spiritu Helie imbuendus, sed zelum nimis præcocem in discipulis culpauit, idque cõmuni schemate dicens, Nescitis cuius spiritus sitis: pro eo quod est, Nescitis aut certe nõ expenditis quo animo ista loquamini. Iam quod apud Ioannem legitur, Nondum erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus, loquutionis genus est dependens ex consequenti. Hactenus enim spiritus quidem in fidelibus fuerat, sed copiosius et pluribus ab ascensione dabatur credentibus. Vnde et Augustinus quæstionem sup hac re mouens, quomodo negetur fuisse spiritus in sanctis cum post multos alios legamus Simeonem et Zachariam repletos spiritu sancto prophetasse: et respondet, Eundem quidem fuisse spiritum sanctum, sed modum donationis fuisse diuersum. Sed hæc paucis, plura in Actorum capite secundo, et Hebræorum capite octauo. Plura scripsit Tertullianus aduer. Martionem in quarto libro et contra Iudæos.

COMMENT. IN I. EPIST.

Irenæus quoq; aduer. Valent. Euseb. item in præfat. Eccle. histo. & Lactant. lib. 4. cap. 20. Symbolum secundo conditū disertis uerbis in hunc modum confitendū docet, πνεῦμα εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κύριον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν εἰς μίαν καθολικὴν καὶ ἑσσοδικὴν ἐκκλησίαν, hoc est, Credo in spiritum sanctum dominum, qui loquutus est per prophetas in unam catholicam et apostolicam ecclesiam. Audis unum atq; eundem esse spiritum qui per prophetas loquatur in unā generalem ecclesiam, olim quidē à prophetis nunc ab apostolis uerbo ueritatis qui sancti spiritus instinctus est, collectam. Caterum qui lepidum istud de duplici spiritu commentum obtrudunt simplicioribus, aliud uolunt quàm quod suaui aliàs & hypocritica uerba prima fronte pollicentur. Res enim moliuntur nouas, nouam ecclesiā colligere cogitāt, è qua magistratū expellant & se rerū dominos in ea cōstituant: ideo enim ministerium uerbi nostri, quod tamen non nostrū sed Dei est, omnemq; sancti magistratus administrationem in unitate & disciplina ecclesiastica conseruanda & instituenda, condemnant. Sed pereat maligni spiritus consiliū, nos iam ad nostra redimus. Quæ prophætæ nobis protulere ex spiritu dei non animi sui libidine prodiderunt. Prodiderunt autē totā hanc euangelij de salute æterna per Christum consequenda rationem, quam

Euangelij
ex prophætis.

quam

quam Petrus hic salutem, mox gratiam (ein fründ-
 lichen handel Gottes) appellat. Salus enim græ-
 tuito nobis per redemptionem Christi contingit. Nec
 vulgariter aut per transfennam salutis mysteria no-
 bis cōtemplanda proposuerunt sed exactissime. Re-
 rum etenim diuinarum sitientissimi salutis mysteria
 exquirebant & scrutabantur. Siquidem Daniel non
 postremus inter prophetas primarios illa de re uir
 desyderiorum à Domino appellatus est, certè quod
 nihil magis desyderaret quàm rerum diuinarum &
 salutis ueræ cognitionē, quæ & illi pro uoto præ cæ-
 teris contigit. Cæterū tria subijcit per consequentia
 rerum capita, sed ea in quibus fidei Christianæ com-
 prehenditur summa, quæ propheta studiose à nu-
 mine exquisierint orbisq; scripto ceu per manus tradi-
 derint. Primū, Ad quem aut cuiusmodi temporis ar-
 ticulum salus per Christum esset peragenda: quando
 aut quibus temporibus esset uenturus. Secundum,
 Quas afflictiones esset subiturus. Tertium, Quomodo
 glorificandus. De singulis sigillatim dicemus. Prin-
 cipio quod tempora Christi attinet clarissima extant
 prophetarū testimonia. Iacob enim patriarcha apud
 Mosē Gen. 49. Non auferetur (inquit) sceptrū de
 Iuda, et legislator de medio pedum eius, donec ueniat
 qui mittendus est, & ad eum erit expectatio Gentium.
 Eam prophetiam Onkelus Syrus interpres ad hunc

Capitales
 ligionis
 Christianæ

De Mes-
 sias temp-
 ribus.

Isaie 11.

C

COMMENT. IN I. EPIST.

modū, interprete Pellicano nostro, exposuit, Non recedat potestas regia de domo Dauid, & scriba de filiis filiorum eius quousq; in seculum, quousq; ueniat Messias cuius est regnū, & ad eum obedientiā præstabit Gentes. Eusebius uero Ecclesiast. histo. lib. 1. cap. 4. prophetiā istam de temporibus Herodis Antipatri, qui primus ex alienigenarū genere ortus regnum obtinuerit Genus Iudaicæ, exponit. Sed et plerique ecclesiasticorum scriptorum ad eum modum interpretarunt. Caterum huic expositioni aduersatur quod apud Ieremiam in cap. 22. diuina sententia in Iechoniam ita pronunciatur, Sic dixit Dominus, Scribite uerbum istum orbatum sine herede, uirum qui non prosperabitur in diebus suis, quia non prosperabitur à semine eius uir sedens super solium Dauid, & dominans adhuc in Iuda. At Christus Dominus intra 670. plus minusue annos nondū adueniebat, & intra hos nullus legitur dignitate potestateq; regia regnasse in solio Dauid super Iuda. Quod enim de Machabæorū dominio multa leguntur, ad rem præsentem nihil pertinent. Machabæi enim de stirpe Leuitica prognati erant. Proinde claret iam quod in fine regni Babylonici prophetia Iacob de sceptro auferendo expleta sit. Nam in Iechonia abrogata est dignitas regia domui Iuda: sed nondum interim nascebatur Schilo Messias Christus dominus. Quid ergo dicemus

Non testimonium.

Alij, licet Leuitæ esse ut, dicebantur tamē stirps Iuda.

dicemus cum uideamus Eusebianam expositionē pa-
rum habere firmamenti? Certe expendenti ista dili-
gentius duo occurrerunt, quæ hic opponi posse uide-
bantur. Prius, prophetiam Iacob non modo de sce-
ptro sed lege quoq; siue legislatore auferendo disse-
rere. Porro legislatore quem Iacob uocauit $\rho\rho\eta\mu$
etiam doctum in lege, scribam, $\epsilon\upsilon\ \nu\omicron\mu\omicron\phi\upsilon\lambda\omicron\kappa\alpha$ iu-
dicem uirumq; primarium appellitant literæ sanctæ.
Tales uero nunquam defuerunt tribui Iuda à readi-
ficata urbe usq; ad Herodem illum magnum, qui pri-
mus ex alienigenis sibi in populo Iudaico parauit mo-
narchiam. Pessundata enim à Babylonijs dignitate
regia, emerferunt è tribu Iuda duces, quorum primus
Zorobabel appud Haggeum $\epsilon\upsilon$ Zachariam fuisse
refertur cretus sanguine regio. Nam Matthæo indice
filius fuit Salathiel qui rege Iechonia erat natus. Pro-
inde non frustra crediderim pedum $\epsilon\upsilon$ $\rho\rho\eta\mu$ in
uaticinio Iacob fieri mentionem. Voluit enim signi-
ficare primo quidem regiam dignitatem fore concul-
candā: deinde uero è conculcatis reliquijs exoritu-
ros duces et uiros in sanctitate primarios è quibus deinde
nasciturus sit Schilo, tum quidem cum turbatis rebus
mortalium rerum summa totiusq; Iudaicæ Gentis im-
perium ad alienigenam fuerit deuolutum. Quod à
Babylonica captiuitate ad Herodis usq; tempora cō-
pletum esse comprobabimus, ubi prus istud anno

Iosephus
ant. lib. 14
cap. ult.

Pedes in
Daniele
significant
postremas
regnum
partes.

COMMENT. IN I. EPIST.

tauerimus istis palam probari regnū Christi non fore
carnale. Videmus enī carnalia in regno Iudæ omnia
esse abrogata priusq̄ adueniret rex uerus et æternus.
Iam uero ad superiorum confirmationem expositio-

Haggeus. Haggei ult. legimus. In die illo dixit Dominus exer-
cituum, accipiam te Zorobabel filium Salathiel, ser-
uum meum, dixit Dominus, & ponam te sicut annu-
lum, quia te elegi. In die inquam illo quo commouebo
cælum & terram et omnes Gentes, hoc est, quo pri-
maria regna mundi inter se committam, Perico Ma-
cedonicum, Macedonico Romanum: in istis inquam
turbis te & posteritatē tuam seruabo. Te enim elegi,
ut sis annulus signatorius, hoc est ille per quem ueri-
tatem promissionis meæ obfignem. Id est, te elegi, ut
ex te nascatur Christus secundum carnem, qui omnia
satisfaciat quæ in Lege & prophetis promisi.

Daniel.

Daniel autem clarius in 2. cap. In diebus autem re-
gnorum illorū (inquit) suscitabit Deus cæli regnum
quod in æternum nō dissipabitur, & regnum eius al-
teri populo non tradetur. Comminet autem & con-
sumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternū.

**Sub Ro-
mano im-
perio nas-
tus Chri-
stus.**

Vide obsecro consonantiā prophetalem, etiam Dan-
iel. In diebus (ait) regnorum, uidelicet Macedonici
& Romani, quæ paulò ante postremo loco recensu-
erat, suscitabit Deus regnum Christi æternum, quod
omnia

omnia alia comminuet. Superius enim mentionem fe-
 cit cuiusdam lapidis sine manibus abscissi de monte,
 qui immissus regnis omnia comminuerit. Quis uero
 hic lapis? Respondeant prophetae alij, respondeant
 euangelistae. Christus Dominus est lapis iste caelo
 descendens, ex uirgine natus, qui caelesti uirtute citra
 humanam opem sibi totum subdidit orbem. Similia
 his inuenies et apud Zachariam in 6. cap. Posteaq[ue]
 enim monarchiarum conflictum exactius et copiosius
 quam Haggeus pinxisset, tandem ad Iesum sacerdo-
 tem ac Zorobabelem perueniens, ita ad hunc, Dei
 iussu, loquitur, Sic dicit Dominus exercituum dicens,
 Ecce uir גֶּרְמֵן Germen (alij Oriens) nomen eius, et
 sub eo germen erit, et edificabit templum Domini.
 Et ipse edificabit templum Domini, et ipse portabit
 decorem et sedebit et dominabitur super solio suo,
 et erit sacerdos super solium suum, et consilium pa-
 cis erit inter ambos. Quibus nihil potuit ad rem prae-
 sentem dici quadrantius. Videmus coram quomodo
 subuerso iudae solio, subrepserit et reliquijs iste Zoro-
 babel, e quo tandem commissis inter se regnis et se-
 mutuo lacerantibus Romanisq[ue] superantibus, nasci-
 tur Christus uerus rex et sacerdos. Zorobabel dicitur
גֶּרְמֵן germen, quia de stirpe Dauid. Ex hoc ger-
 mine orietur (ait) aliud germen, illud uidelicet de quo
 Ieremias in 23. Ecce dies uenient et suscitabo Dauidi

Isaie 28.
 Psa. 117.
 Matth. 21.
 Lucae 2.

Zacharias.

Christus a
 temporibus
 Adae
 dicitur
גֶּרְמֵן
 Semen: a
 temporibus
 Dauid
גֶּרְמֵן
 Germen
 propter
 promissa
 liones.

COMMENT. IN I. EPIST.

צמח צדיק germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit. Et Zorobabel quidem ædificauit templum Domini. Sed propter Christum eadem sententia repetitur, Et ipse ædificabit templū Domini, illud nimirum de quo Haggeus, Et uenient cum desyderabilibus omnes gentes, & implebo domum istam gloria, dixit Dominus exercituū. Maior erit gloria domus istius posterioris, quàm prioris, dixit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dixit Dominus exercituum. Id quod Iudæi nunquam possunt ostendere impletum esse carnaliter. In ecclesia autem nostra abunde præstitit omnia Deus, in qua simul & rex et sacerdos est Iesus Christus Dominus noster, qui sibi ex Iudæis & Gentibus ecclesiam delegit macula & ruga carentem. Et ut nulla erat inter Iesum & Zorobabelem æmulatio, ita nulla cogitanda est inter patrem & filium. Ex his (opinor) intelligere licet quod tametsi sceptrū à Iuda sub monarchia Babylonica ablatum, attamen צמח e medio pedum Iudæ non sit sublatus, donec rerum summa ad Herodem Ascalonitam deuoluta, è tribu Iuda nasceretur Christus Dominus, qui & rex & sacerdos regnauit in solio Dauid patris sui. Atq; hanc quidem priorem arbitratus sum esse rationem qua difficultas uaticinij Iacob, & contraria Ieremie sententia, superari atq; explicari possit.

Sequitur

Sequitur iam ratio posterior. Daniel, qui merito desideriorum uir cognominatur, scrutans res populi Dei futuras & præterita expendens, animo consternatus quod uideret omnes ferè prophetias ueteres impletas, in summum uenit discrimen. Legens enim Ieremiæ uaticinia consideransq; quod sceptrū à Iudæ esset ablatum, & quod LXX. anni captiuitatis iam essent exacti, interim uero populus Iudæ nihilominus oppressus ageret inter idololatrias, Hierusalē iaceret uastata, regni et gentis suæ gloria interisset prorsus, ad Deum conuersus & in orationem ardentissimam profusus, quæ 9. cap. Danielis continetur, orat Dominum, ut secundum promissiones suas populum reducat, Hierusalē restituat, idq; (לְמַעַן יָרֵד) id est propter Dominum, Christum intelligens, quem David in Psal. 109. Dominū * suum appellat. Non (ait Daniel) propter nos ipsos restitue nos, sed propter Christum Dominū, nempe ut per hunc toti orbi exhibeas quod pollicitus es. Nisi enim populum tuū reducas, nisi urbē restituas, quomodo exhibit lex de Zion & uerbum Domini de Hierusalem: quomodo implebuntur ea quæ promisisti per prophetas? Iam ergo exaudiri à Deo meretur, qui ardentissimis uotis, non suam sed Dei quærebat gloriam. Itaq; protinus ipsi astat angelus Gabriel expositurus fata populi Iudaici, nempe quod reducendus, quod Hierusalem ædi-

Danielis
hebdoma-
dæ expo-
nuntur.

Quia de
lumbis
eius natus
uerus ho-
mo, & 12.
men Do-
minus ue-
rus. Matt.
22.

COMMENT. IN I. EPIST.

ficanda : deinde quod destinato tempore adducenda sit **צדק על מים** iusticia seculorum, id est Christus qui est omnium seculorū & sanctorū ab exordio mundi ad finem usq; iusticia & sanctificatio, per quem uisio et prophetia à Deo obsignatur, id est, per quem rata effecit Deus quaecunq; prædixit per os omnium sanctorum suorum prophetarum. Præsupposito itaq; eo quod populus reducendus & urbs restituenda adeoq; iam iam restituta sit, consequentibus differit de temporibus Christi. Prius in genere proposuerat hebdomades LXX, hoc est, dixerat Iudaico populo totidem restare hebdomades ab urbe restituta ad excidiū usq; cum gentis tum urbis, intra quas tamen omnia essent adimplenda quæ de Christo prædixerant prophætæ: nunc ergo speciatim differit de singulis, et principio de temporibus Messie quando sit uenturus, dicens, Scito ergo & animaduerte quod ab exitu uerbi, ut redeatur & ædificetur Hierusalem usq; ad **משיח בגיר** CHRISTVM principem hebdomades septem et hebdomades sexaginta due. Ceterum propheta hebdomades annorum intelligit. Septuaginta autem hebdomades efficiunt annos 490. Hic uero ab urbe reædificata ad Christum usq; non 70. sed 69. numerantur hebdomades. Nam 7 & 62. cōstitiunt 69. Remanet ergo ad alia temporā, ultima illa & unica nempe septuagesima hebdomas
at intra

Leuit. 25.

at intra 32. Darij annum & 42. Augusti, ueluti limi-
 tes & septa, currit presens 69. hebdomadū compu-
 tatio. Daniel enim ab exitu (ait) uerbi ut edificetur
 Hierusalem, usq; ad Christum hebdomades 69. Est
 autem notandum loquutionis genus, Ab exitu uerbi, ut
 restituatur Hierusalem. Id enim pollet, quasi dicas
 Germanice, Wenn sich verlossen das Hierusa-
 lem gebuwen. Hoc autē factum legimus 32. Darij
 Histaspis anno, Nehem. 5. Quibus & Iosephus con-
 sentiens dicit Nehemiam opus sustinuisse per annos
 duodecim. Cum ergo 20. Darij Artaxerxis (quod
 omnium Persicorum regum, ut Aegyptiorum Ptolom-
 mæus ac Pharao, Romanorum Cesar, Palestinorum
 uero Abimelech, cognomen erat) anno Nehemias
 manumissus sit, ut extat Nehe. 2. duodecim autē an-
 nos impenderit urbi restituendæ, certe 32. Darij Hi-
 staspis aut Artaxerxis anno opus absoluit. Nunc ergo
 Daniel hoc dicit, Numerabis à 32. Darij anno hebdo-
 mades 69. id est annos 483. totidem enim annos effi-
 ciunt 69. per septenarium numerum multiplicata,
 & habebis annos Natiuitatis Christi certos. Videam-
 us iam temporum ex Chronicis rationem quomodo
 isti concinant uaticinio. 32. annus Darij incidit in 3.
 annum Olympiadis 72. Olympias autē habet annos
 4. Porro 42. Augusti annus quo natus est Christus in-
 sidit in 3. annū Olympiadis 194. Tolle iam ab his 194.

C 5

COMMENT. IN I. EPIST.

Olympiades 72. superiores, & remanebunt Olympiades 122. Porro 122. per quaternariū numerū multiplicata constituunt annos 488. certe 69. hebdomadam annos, s. duntaxat annis superantibus. Nam 69. hebdomades efficiunt tantū 483. annos. Verum exiguus hic s. annorum numerus superans nihil potest expositioni huic aliàs sibi probe constanti, simplici, claræ ac ueræ dubij ingerere. Scripsimus ante annos aliquot De hebdomadis hisce opusculum, sed interim uariâ experientia in primis autem D. Theodori Bibliandri præceptoris nostri fidelissimi doctissimiq; institutione & opera didici nullam suputationem certiore esse, quàm quæ fiat per Olympiades. Illa ergo quæ tum scribebam ad ista nunc exigi & conferri adeoq; ex hisce sarciri & emendari uolo. Quod atinet ad rem præsentem, abunde præstitum sartumq; opinor per Danielis diligentiam, quod quisquam desyderare poterat in subobsuro Iacobi apud Mosem ænigmate. Opinor & illud luce clarius esse expositū, quod Petrus dixit prophetas scrutatos esse ad quem aut cuiusmodi temporis articulū uenturus esset Christus. Hactenus enim audiuimus quanta sedulitate certitudine & diligentia in hac re indaganda laborarint Moses, Daniel, Haggeus, & Zacharias, qui & ipsum punctum aduentus Christi acu (ut dicitur) attingerunt.

Sed

Sed quia semel coepimus Hebdomadas Danielis obiter enarrare, addamus & ultimam illam hoc est septuagesimam, ut ex illa id quoque colliquescat quod etiam hic propheta uenturas (ut Petrus ait) in Christum afflictiones admiranda claritate prädixerit. Sequitur igitur, Et post hebdomades sexaginta duas (iam omittit minorem numerum, qui tamen subintellegendus est) occidetur Christus (כחמין) & nihil ei, intellige habebüt quod impingant meriti. Hactenus de temporis articulo quo Christus erat uenturus scripsit, nunc de Christo ipso, de populi peccato & excidio dicet. Hoc autem de Christo dicit. Exactis hebdomadis istis 70. in postrema ista & ultima hebdomada occidetur Christus. Nam in posteriori uersu clarius subditur, Confirmabit autem pactum multis hebdomada una. Vbi maxime loquutionis genus obseruandū est. Hebdomadi enim uidetur tribuere quod reuera Christi est, qui morte sua (ut in Hebræis dicitur Paulus) testamentum confirmauit. Sed & nobis in usu est loqui, Hic annus fœlix erit aut abundantem dabit frugum copiam. Porrò hæc septimana pertingit à natiuitate ad excidiū usque urbis & Gentis. Aliam enim rationem à superioribus habere uidetur. Nec enim integra nec dimidia tantum annos 5. habet, quæ si ducatur per denariū fient anni 70. intra quos Christus absoluit tempus dispensationis, & iux-

De passione & gloria Christi ex prophetis.

Multis quia Gentibus quos que, & omnibus credentibus, Matthæi 26. Increduli se excludunt.

dei mensuram peccatorum, ut post dirutum templum
 & urbem solo equatam obtingeret ab Isaia & alijs
 intentata repudiatio. Iam si per Olympiades 70. an-
 norum inquiras numerum, dices omnia sibi pulchre
 constare. Diximus enim Christum natum esse 3. anno
 Olympiadis 194: ceterum constat templum & urbem
 Hierosolymorum diruta esse 2. Vespasiani Cæs. anno,
 qui 2. annus erat Olympiadis 212: numerantur ergo
 à nato Christo ad urbis excidium Olympiades 18,
 quæ efficiunt annos 72, hoc est, ultimam istam heb-
 domadam uno atq; altero duntaxat anno superante.
 Totidem ferme colliguntur anni si per Cæsarum quoq;
 annos suputationem instituas. Tam probe sibi con-
 stant & certa sunt Dei oracula. Illud uero in primis
 lepidum est qd' hanc ipsam Septimanam diuidit, ita ut di-
 midata Christo, et dimidiata populo & urbi seruiat.

Curfus &
 mors
 Christi.

Intra triginta tres annos absoluit Christus cursum
 suum. In mortem enim à popularibus suis traditus præter
 meritum, uel ipso iudice Pilato attestante, Nihil cri-
 minis inuenio in hoc homine: Dei tamen dispensa-
 tione propter peccata mundi expianda, in crucem
 adactus, clamauit, Consummatum est, inclinatoq; capite
 emisit spiritum. Protinus autem atq; hæc facta, scissum
 est uelum templi à summo usq; deorsum: ut uel hisce
 signis prodigijsq; Deus attestaretur duriceruicibus
 Iudæis per hostiam filij abrogata iam esse omnia ty-
 pica

pica sacrificia. Recte ergo Daniel, In dimidio (inquit) hebdomadis cessabit hostia & sacrificium. Sed dum illi constanter pergerent sancta quidem olim at nunc nephanda & abominanda offerre sacrificia, præterea & sanctos Christi persequerentur, in exilium ^{Vastatio Templi & urbis.} pellerent, & multos interimerent, longanimitate sua ad poenitentiam uocauit eos Dominus, per residuos huius hebdomadis triginta septem annos, imò & minis ab concepta absterruit pertinacia. Siquidem ^{וְקָרַעַתְּ מִשְׁמַיִם אֶת־בְּנֵי־בָרָא} (ait propheta) id est, Et super alam pinnam siue portam abominatio- num uastator (intellige) erit. Vocat autem templum ipsum quod hæcenus sanctum dicebatur Abomina- tiones. Abominabatur enim ea Dominus quæ à morte Christi secundū legem in templo fiebant. Ergo pro- digio quodam super pinnam siue portam templi per procuratorem iudææ Pilatum curauit statui uastato- rem, id est, signum uastationis. Legimus enim in hi- storijs Pilatum portæ templi dominici auream im- posuisse Aquilam. Porrò Aquila Romanorū inter- signe signum erat furoris diuini, portendens Romanos & templum & urbem occupaturos, ni ceptis desisterent, Christumq; Domini susciperent. Sed nequicq; moniti perrexere patrum mensuram implere: proinde Deus iusta ira commotus & templum & urbem & Gen- tem funditus excidit, ueluti immisso diluuiō. Idq; to-

COMMENT. IN I. EPIST.

tum fecit per principalem populum uenientem (iuxta
Balaam uaticinium) ex Italia. Nec primo protinus
aggressu istos unica strage extinxit, sed per uarias ca-
lamitates, turbarū, seditionis, coniurationis, famis &
pestilentiae per annos 35. uexatos, ad finem demum
belli excidit: nimirū in uindictam omnis effusi san-
guinis iusti prophetarum apostolorū ac Christi Do-
mini potissimum, & ut reliquijs Iudæorum palam de-
clararet, quod Mesiam miserit pollicitum, qui legem
adimplens summam religionis intra fidei & charita-
tis limites constituerit, abrogatis simul ceremonijs
siue sacris carnalibus templi omnibus. Iccirco enim
oportuit post conculcatum sacerdotium & regnum
ne templi quidē ruinas posteris superstites remanere.
Et hæc quidem copiosius, sed nō abs re et citra lecto-
rum (ni fallar) insignem utilitatem huiusq; loci lucu-
lentam explanationē. Audiuius enim quæ hic pro-
pheta Christo præscripserit tempora, & quod pas-
sibilem fore prædixerit.

Abrogatio legis.

Gloria
Christi
uictoria et
regnum.

Addamus iam ex eodem hoc propheta, quas ille
prædixerit consecuturas Christi mortem glorias. In 7.
cap. Aspiciebam (inquit) in uisione noctis, & ecce
cum nubibus cæli, quasi filius hominis ueniebat, &
usq; ad antiquum dierum peruenit, & adductus est
in conspectum eius. Et dedit ei potestatem & hono-
rem & regnum & omnes populi tribus & linguæ
seruiens

seruient ei: potestas eius potestas aeterna, que non auferetur, & regnum eius non corrumpetur. Testimonium hoc fecundum est, & prater id quod diserte loquitur de consecutura gloria Christi, totum penes Christi mysterium perstringit. In initio enim pulchre notatur utraq; Christi indoles diuina et humana. Secundum diuinam uenit ad antiquum dierum, id est similis siue coequalis est patri. Neq; enim ea locutio localiter est exponenda. Consequens sementia, Et adductus est in conspectu eius, localiter exponenda est, non tamen citra ἰσοϋοίαν. Illa porro similitudinem habet: ut cum Latinus dicit, Accedit ad hoc, hoc est, huic non dissimile est. Itaq; Christus secundum diuinam naturam patri coequalis est. Vnde a Ioanne uerbum Dei, a Paulo uero character et imago substantie Dei, item in forma Dei & Deo equalis esse dicitur. Secundum humanam naturam uerus & perfectus homo est. Hinc enim non dicitur homo, sed filius hominis. Vt enim apud Gellium Fronto censet eum plus dixisse qui ait Multi mortales, quam qui dicit Multi homines: ita plus dixit qui ait Filius hominis, quam qui dicit Homo. Illud enim comprehendit tacitum quendam genium omnibus insitum indolentiamq; humane nature & miserie. Verum igitur & perfectum hominem fatetur Christum Daniel cum filium hominis appellat, id quod Paulus dilucidioris

Ioan. 1.
Hebræ. 1.
Coloss. 1.
Philip. 2.

Quare
Christus
in euange-
lio dicitur
filius homi-
nis.

COMMENT. IN I. EPIST.

bus uerbis ita extulit, Exinaniuit seipsum forma seruū sumpta in similitudine hominū constitutus, & figura repertus ut homo. Ceterum homo factus est ut haberet quod pro homine offerret. Id ubi expleisset, & unica hostia eternam redemptionem inuenisset, con-

Math. 26 sedit ad dexteram patris, inde uenturus iudicare, & approbare omnibus impijs iusticiam & innocentiam & gloriam suam. Vnde coràm Caiapha cōsistens & uarias ab impijs contumelias perpetuens, tandem ad presens testimonium prophetæ allusit & dixit, Ammodo uidebitis filium hominis sedentē à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. Crucem ergo Christi illa in primis gloria est consequta, quod rediuiuus cœlos ascendit, quod in cœlis sedet ad dexteram patris. Porro iudicio futuro maxime declarabit gloriam suam, quod patri coequalis, quod unus solus & eternus Deus sit cū patre & spiritu sancto: quin & ipsi, ubi finis appetierit omnium, subdentur omnia, hoc est ipsi subijcietur potestas aduersaria, eaq; tormentis excrucietur perpetuis, ipse uero una cum sanctis suis eternum regnabit. Hæc ex Daniele.

**His cōfer
Ioā. cap. 5**

**Zacharias de
passione
& gloria
Christi.**

Subijciemus iam & alia prophetarum de passione & gloria Christi testimonia, nec quælibet nec uulgaria, sed dilucida præclara & certissima quidem illa. Apud Zachariam in cap. 3. ita de Iesu sacerdote magno differitur ut pleraq; & Christo Domino compe-

tant.

tant, quaedam uero prorsus sibi habeat peculiaria Ie-
sus sacerdos. In his uero hic illius gessit typū. Inten-
tatur Iesu à Satana crimen. Tentatum & saluatorem
nostrum à Satana refert historia euangelica. Cri-
men intentatum erat sordida uestis. Hac significaba-
tur incarnatio Christi. Speciem enim serui suscepit
Dominus: & caro eius cum reuera purissima & san-
ctissima esset, peccati caro uisa, Satanae spem inie-
cit, fore ut nonnihil sibi iuris in ipsum esset reliquum. Ioan. 14.
Sed nihil inuenit in eo. Etsi enim torris & nostri si-
milis factus sit, concupiscentia tamen nō ambustus, sed
in ara crucis crematus morte sua nos ab aeterna morte
redemit. Hec de incarnatione & passione Domini:
nunc de glorificatione. Auferte (inquit Dominus) ue-
stimenta sordida ab eo. Ecce abstuli à te iniquitatem
tuam et indui te (מתלוצות) puris uestimentis. Chri-
stus Dominus de spiritu sancto conceptus, peccatum
non habuit, nec dolus inuentus est in ore eius, Domi-
nus autem imposuit ei omnia delicta nostra. Oblatus
est ergo, ut peccata mundi expiaret. Quare absoluta
tertia die rediuiuus apparuit discipulis, nō iam mor-
talem, sed clarificatam carnem habens. Præterea &
Cydaris munda & corona aurea imposita est capiti
eius. Deus enim dedit illi nomen quod est supra omne
nomen. &c. Philip. 2. Quod autem hic sit post hi-
storiam sensus genuinus, comprobabunt uerba con-

D

COMMENT. IN I. EPIST.

Sequentia. Sequitur enim, Audi quæso Iesu sacerdos magne, tu, & amici tui sedentes coram te: quia uiri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum Germē. Quia ecce lapis quem dedi corā Iesu, super lapidem unum septem oculi: ecce ego calabo sculpturam eius, dixit Dominus exercituum, & delebo iniquitatem terræ, in die uno. Iesum & amicos, id est cōsacerdotes, palām nominat uiros portenti. Omnes enim sacerdotes Aaharonici typi fuerunt sacerdotij Christi. Quin & planius sese exponens addit, Ecce adducam eum in quem omnium oculi sunt intenti, qui in crucem adactus, uno die & una hostia omnium peccata auferet, Christum significans Dominū, quem primo seruum uocat, sicut Isaias in cap. 42. quem locum citauit & Matth. in cap. 12. Secundo appellat ipsum germen, de quo paulo ante diximus. Tertio lapidem, propter firmitatem, sicut & Isaias & Daniel. Super hunc lapidem unum, id est primarium, dicit fuisse oculos septem: id est, in Christum esse omnium prophetarum & sanctorum oculos intentos. Omnium enim seculorum firmitas & salus est Christus. Et R. Dauid Kymbi rectē diuinat septenarium numerū perfectionis esse. Porrò hunc lapidem sculpsit Deus, quando clauis cruci suffixus est Christus. Tunc uero uno die & unica hostia perfectos effecit in perpetuū eos qui sanctificantur. De qua re copiosissime

Isaie 9.

fiffime disputavit ad Hebræos Apostolus. In 13. huius
 propheta capite pater per prosopopœiam ad gla-
 dium, Gladie (inquit) excitare super pastorem meū,
 Christum significans, qui ex hoc loco apud Ioannem
 in 10. pastorem se ouium dicit, propter assumptam
 naturam humanam & dispensationis mysteriū. Sed
 aliud quoq; in Christo excellentius est, Sequitur enī,
 רעל גבר עמיתא Et super uirū coherentē mihi Expres-
sum diuina-
nitatis
Christi tes-
timonium
 siue cognatum siue coæqualem meum. Christus enim
 secundum diuinam naturā patri coequalis est, eter-
 nus, immortalis: sed secundum naturā humanam pas-
 sibilis. Proinde additur, Percute pastore, & disper-
 gentur oues. Passionē enim & crucē eius significauit
 gladius, qui ubi prouidentia Dei filio esset immissus,
 dispersi discipuli, solum in afflictione reliquerūt Do-
 minum. De qua re apud Matth. in 26. cap. plura.
 Adderem his 53. Isaiæ caput clarissime de passione et
 gloria Christi conscriptum, nisi non multis ante die-
 bus in 8. cap. Act. Aposto. conscribens Cōmentariū
 paraphrasi exposuissem. Ex Psalmis si post tot clara
 testimonia requiris plura, extat inter alios de Christi
 dispensatione et mysterio testificans 2. 15. 22. & 109.
 Hec autem in hoc exposui uerbosius, ut uideres quo-
 modo spiritus Christi ipsum aduentus Christi articu-
 lum, passionem & gloriam, per prophetas orbi ex-
 planarit. Vnde iam colligimus religionem Christia-

nam longe certissimā & uerissimam esse, utpote quæ tantis, tam doctis, tam sanctis, tamq; uetustis nitatur testibus. Cætera uero quæ ad Petri pertinent consilium exposuimus in capite huius disputationis, iam ad uerba Petri redimus.

quibus & illud reuelatum est, quod haud sibiipsis, imò nobis ministrarent hæc quæ nunc annunciata sunt uobis, per eos qui uobis prædicauerunt euangelium per spiritum sanctum emissum e coelo, in quæ desiderant angeli prospicere.

Quod prophetae nos bis scripsissent.

Plures expositiones in Annotationibus suis recensuit Erasmus: sed occupatio est. Respondet enim illis qui prophetarum scripta nihil ad se pertinere & ueteri duntaxat populo data credunt. Imò (ait) nõ ideo docti inspiratiq; à Deo prophetarunt, ut sibiipsis aut sui duntaxat temporis hominibus consulerent, sed ut omnem posteritatem erudirent. Sic & Paulus, Quæcunq; (ait) scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, ut per consolationem scripturarum spem habeamus. Et in Actis causam agens coram rege Agrippa, Nihil (inquit) extra id doceo, quod prius docuerunt prophetae & Moses. Act. 26. Eodem ergo spiritu profecta sunt quæ scripsere & egere post prophetas apostoli. De prophetis enim audiuius, quod spiritus Christi fuerit in eis. De apostolis nunc audimus quod

ea annunciarint quæ prius reuelata sine prophetis.
 Nam quæ illi dixerunt uentura, hi uenisse & expleta
 testantur, idq; spiritus sancti opera, qui iuxta euange- ^{Ioã. 16. 14.}
 licam historiam non multis ab ascensione Christi ^{Acto. 2.}
 diebus apostolis datus est, nimirum ut cœlesti uirtute
 roborati euangelium hoc prædicarent toti orbi: iam
 quæ ad finē adiecta est sementia, In quæ desiderant
 angeli prospicere, hyperocham & tacitam quandam
 collationem habet, sed ad maximam euangelij, hoc est
 negocij Christi commendationem facit. Egregie enim
 Paraphrastes, Hæc tam (ait) ineffabili Dei consilio ^{Euangeliū}
 gesta, non mirū si propheta concupiscebant cernere, ^{sanctorum}
 cum etiam ipsis angelis sit admodum iucundum gra- ^{deliciæ.}
 tumq; spectaculum, cuius cōtemplatione non queunt
 expleri. Certè inuenias non raro in sacris ueteres
 patriarchas & prophetas maximo animi desiderio
 Christi exoptasse aduentū. Et Christus hoc noīe bea-
 tos dixit apostolos, quorum oculi uiderint quæ multi
 reges & propheta uiri utiq; primarij & eruditi cu-
 pierint uidere, sed non uiderunt. Simeon ille pius &
 iustus senex pusionem suscipiens Iesum in ulnas, sibi
 totiūq; mundo congratulans clamat, Nunc dimittis ser-
 uum tuum Domine secundum uerbum tuum in pace.
 Quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti
 ante faciem omnium populorum & c.

Quapropter succincti lumbis mentis

COMMENT. IN I. EPIST.

uestrae, sobrii, perfecte sperate in eā quae ad uos defertur gratiā, dum uobis patet Iesus Christus, tanq̄ filij obediētes ut nō accomodetis uos pristinis concupiscentijs, quibus dum adhuc ignoraretis Christum agebamini, sed quem admodum is qui uos uocauit sanctus est, ita ipsi quoq̄ sancti in omni cōuersatione reddamini, propterea quod scriptum est, Sancti estote, nam ego sanctus sum.

Demonstrata ex prophetarum testimonio religionis Christianae fideiq̄ certitudine, & quod fatali quadam necessitate imò paterno Dei cōsilio ad exemplum capitis Christi, omnia eius membra sint affligenda: iam insert, Contempta igitur afflictione in ueritate firmi persistite. Huic tamen illationi aliud iam institutum appendit. Desleat enim ad innocentiam uite, ad quā miris modis incitat credentes: quod sine hac fides esse nequeat, sed & patientia nulla esse possit. Oratio autem mira copia miraq̄ exornatione est uariiegata, præterea & occulto spiritus afflatus uegeta floridaq̄. Cum enim paucis potuisset sic colere legisse, Igitur cum hæc ita habeant, & uideatis quid frugis ferat patientia, & quā certa sit ea spes cuius gratia affligimini, immobiles in ueritate perstate: man-

huit

luit tamen hoc posterius omni diligentia per figuras orationis exornatum proferre. Principio enim utitur metaphora transumpta ab ijs qui impedimentis omnibus positis expediti accinguntur itineri. Aperi-^{Vera & sincera fides,} tur autē metaphora per unicam uoculam adiectam. Lumbos enim non corporis, sed mentis dixit, à corpore ad animum transiens. Tertullianus 4. aduer- Martionem libro, Succingere (inquit) debemus lumbos, id est expediti esse ab impedimentis lacinosæ uitæ et implicitæ. Item lucernas ardentes habere, id est, mentes à fide accensas, et operibus ueritatis relucen- tes, atq; ita expectare Dominū, id est Christum. Bre- uiter, Succincti lumbis sunt, qui omnia animo impe- dimenta ueritatis deposuere, totumq; Deo animum deuouere soli. Sequitur enī quod exponat, νήφοντες, id est sobrij siue uigiles: hoc est, succincti lumbis sunt, qui uigiles siue sobrij, ueternum carnis excusserunt et humanæ sapientiæ crapulam edormierunt. Porro id tum fit, cū τελείως, id est, perfectè fidimus euan- gelio, quod gratiam Dei nobis nunciat, ex qua nobis donatus est filius Dei. Iterū enim sequitur expositio, ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ, id est, Per reuela- tionem Iesu Christi: siue ut Erasmus uertit signifi- cantius, Dum nobis patefit Iesus Christus. Hoc est, Illam intelligo gratiam, qua nobis Iesus Christus ma- nifestatus est. Iam uero hisce omnibus uerbis nihil

COMMENT. IN I. EPIST.

aliud dixit, quàm, Proinde expunctis omnibus è pe-
 ctore humanis carnalibus affectibus toto corde cre-
 dite Christo Domino, qui uobis prædicatus est per
 euangelium. Non ergo operæpretiū fuerit multis hic
 agere de Sobrietate Castitate aut Temperantia, de
 quibus nihil dicitur, sed de uera & sincera constan-
 tiq; Fide in Christum, quæ excoquit & absumit car-
 nis affectiones, pauorē, inconstantiam, & impatien-
 tiam, aspernatur autē mundi uoluptates & gaudia,
 uni sese Deo totam dedicans. Quod uero sequitur ad
 uerbum hoc sonat, Ut filij obedientiæ, nequaquam confor-
 mes prioribus ignorantia uestre cupiditatibus. Eras-
 mus perspicuitati studens sensum probe reddidit. De-
 flectit autem Petrus ad Innocentiam, ad quam argu-
 mento à natura filiorum ducto hortatur. Filiorum
 est genio & actis referre parentem, huius obedire
 præceptis. Porro fides efficit nos filios Dei, qui nos è
 mundo euocatos sibi uult in innocentia uitæ seruire.
 Proinde nos quidē qui Deo credidimus, nō in pristina
 natiuitatis sed nouæ uitæ moribus ambulare debe-
 mus. Voluptatibus, luxui, crapulæ, ambitioni, iræ,
 auariciæ, superbiæ sese dedunt, qui hunc tantū mun-
 dum norunt, Christum & uitam beatam in futuro
 seculo nesciunt. Nos autem qui uocatione euangelij
 de mundo auocati sumus ut illa non expectemus quæ
 suis ille impartitur cultoribus, sed maiora & perma-
 uentiora

Innocen-
 tia siue in-
 egritas
 uitæ.

nentiora & amoeniora, animum quoq; & mores car-
 nis auitos debemus mutare. De qua transformatione
 scripsit & Paulus Roma. 12. Quin ipse Petrus hisce ^{Sanctimo-}
 protinus adiungit Patris cœlestis exemplum inuitans ^{nia.}
 ad innocentiam & sinceritatem dicens, Sed quemad-
 modum is qui uos uocauit sanctus est, ita ipsi quoq;
 sancti estote in omni uestra conuersatione. Idq; iam
 denuo cōfirmat & explanat eleganti à pronuntiatis
 petita sententia, iuxta illud quod scriptū est, Sancti
 estote quia & ego sanctus sum. Locus autem extat
 Leuit. 19. Ceterum sanctimonia illa de qua loquitur
 Petrus non contingit nobis ex nostris meritis, sed ex
 fide Christi, qui nos lauit à peccatis nostris & nos sibi
 sanctificauit in peculium per fidem, cuius uirtute cu- ^{1. Cor. 6.}
 stodimur ab illecebris mundi, quæ custodia hic dici-
 tur factimonia. Aliàs nemo nescit mortalem nō posse
 æquari integritate & sanctimonia Deo. Proinde no-
 bis dum in humanis agimus nostra est sanctimonia,
 quæ gratia magis quàm merito sanctimonia est. Plura
 de hac re in Psal. 14. Ezech. 36. & paulò post in
 cap. 4. Hinc uero intelligimus errare illos qui præ-
 ceptis externis, ceremonijs rebusq; nihili, sanctimo-
 niam instituunt. Qualis est superstitiosa & propu-
 diosa monachorum colluies, unà cum reliqua su-
 perstitiosorum doctorculorum turba, constituente
 sanctimoniam in ἑθελοθρησκεία (ut Paulus ait) non
 εὐσεβεία καὶ ἀληθεία.

Et si patrem inuocatis (citra personarum respectum iudicantē iuxta cuiusq; opus) uideate ut in timore conuersantes incolatus uestri tempus transigatis. Cū sciatis uos non caducis rebus, uelut argento aut auro fuisse redemptos à uana uestra conuersatione, quam ex patrum acceperatis traditione, sed precioso sanguine, uelut agni immaculati & incontaminati Christi.

Fides uera
Timorem
Dei habet.

Eodem hæc pertinent quo & superiora. Iterum enim adhortatur ad innocentiam uitæ, argumento ducto à natura fidei & cognitionis Dei. Inuocandi enim uerbum posuit pro uera & solida religione seu fide. Ut sit sensus, Si uere credidistis Deo, si item cognouistis Deum esse patrem uestrū, ita tamen ut simul malum puniat citra ullius personæ respectum (alibi enim ad Cornelium idem Petrus dicit, In ueritate conperio, quod non sit personarū respectus apud Deum, sed in quacunq; Gente, qui timet Deum & operatur iusticiam acceptus est illi) iam ipsa hæc Dei agnitio efficiet, ut hoc temporis quantulumcunq; sit, quo à patrijs hoc est cœlestibus sedibus, exules, in hisce reptamus atq; peregrinamur terris, transigamus in timore Dei. At timor ab immunditia omni abstrahit, sanctimoniam custodit & signit. Hic ego reliquas diligenti

genti lectori expendenda relinquo, nempe quod præcipuo huic argumento cuius summam iam iam exposuimus, alia duo intertexuit, Prius, quod uera sanctimonia non consistat in circumcissione, non in ritu legis externo, sed in uera animi pietate. Hinc enim dixit, iudicat iuxta cuiusq; opus. Posterius, quod breuitate & miseria huius uitæ item conditione nostra quod hic non habemus manentem locum, uoluptates mundi spernendas cœlestia autē & uere permanentia bona ambienda, suasit. Iam & à redemptionis precio, quod per collationem egregie amplificat, innocentiam suadet. Liberati (ait) estis adeoq; & redempti, nō auro aut argento, sed sanguine Christi, redempti inquam à uana conuersatione, quam ceu per manus acceperatis à patribus. Quo uero maius est precium quo redempti sumus, quo maius periculum è quo liberati sumus, hoc magis cauendum, ne iisdem inuoluamur sordibus. Porro uanas patrum traditiones de Gentium & Iudeorum potes intelligere institutis. Gentes enim à maioribus idololatriam acceperant, quam facile sequitur omnium scelerum lerna. Iudæi uero sacra & ceremonias colebant & uenerabantur, quæ dispendij multum, utilitatis autem parum habuere. Ad tempus etenim correctionis (ut apud Paulum est) impositæ erant. Ab ijs ergo, hoc est superstitionibus erroribus & peccatis, liberauit nos Christus. A Lege uero quæ

Hebræ. 12.
& 13. cap.

Vanz traditioes
patrum.

COMMENT. IN I. EPIST.

Dei uoluntas perpetua est (loquimur autem de decalogo, de fide & charitate) neminem liberauit, qui uenit ut legem adimpleret. Quod precium redemptionis attinet, aperta satis est collatio. Ad amplificationem pertinet quod sanguinem preciosum uocat, quod ipsum Christum agnum immaculatum, & incontaminatum appellat. Nihil enim in orbe preciosius est Christo et redemptione eius. Nihil habet anima nobilius, nihil charius aut desiderabilius. Hic ex spiritu sancto conceptus & uirgine natus macula caret, purus & illibatus est ab omni immunditie inquinamento: unde & pro peccatis nostris hostia pura sancta & illibata solus esse potuit. Id quod lege quoque apud Moysen in 12. cap. Exodi prefiguratum erat. Ad quem locum alludens etiam Baptista, de Christo Domino testificans dicit, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Et Paulus, Pascha nostrum immolatus est Christus &c. De redemptione autem per Christum prestita pluribus disputatum est apud Paulum ad Hebraeos 7. 8. 9. & 10. item ad Roma. 3. capite. Recte uero ex hoc loco estimamus perperam colligere eos qui ex patrum maiorumque consuetudine aut traditionibus ueritatem religionis alicuius approbare uolunt. De eorum stultitia alibi in Act. apostolorum diximus.

Qui preordinatus quidem fuerat antequam conditus esset mundus, sed manifestus

nifestatus fuit extremis tēporibus propter uos, qui per illum creditis in deū, qui illum excitauit e mortuis, & gloriā ei dedit, ut uos fidem & spem haberetis erga Deum:

Occasione arrepta de Christo Domino pro more apostolico disserit obiter. Quoties enim per occasionem licet excurrunt apostoli in mysterium Christi.

Quod autē hic dicit huiusmodi est, Quæ de agno hoc immaculato pura inquam Christi hostia dicimus, non nupera sunt aut hominū arte inuenta uel composita, sed æterna et æterni Dei cōsilio profecta. Deus enim

Christus agnus ab origine mundi occisus.

ab æterno filium suum sacrificio destinauit, ut per hoc emundarentur sancti. Vnde alibi Christum Ioannes

Apoc. 13a

agnum uocat ab origine mundi occisum, id est, eum qui ab æterno hostiæ sit destinatus per quam munden- tur omnes ab origine mundi electi. Paulus enim in 9. cap. ad Hebræ. Christum non nisi semel oblatum esse sub finem mundi testatur. Est et illud in uerbis Petri considerandum, quod redemptio nostra gratuita est.

Si enim in uno Christo salus est, et is nobis antequam iacerentur fundamenta mundi, destinatus est, profecto salus nō ex merito nostro qui nondum eramus, sed ex natia bonitate prorsus gratuita est. De qua re copiosius scripsit Paulus ad Eph. 1. Dicet iam aliquis, Si ab æterno destinauit nobis filium Deus, qui factum

COMMENT. IN I. EPIST.

In nouissimis temporibus Christus natus.

est ut serius hunc miserit in mundum? Respondet Petrus, Sed manifestatus fuit extremis temporibus propter uos, qui per illum creditis in Deum. Vbi duo nobis consideranda sunt. Prius, quod ipsum Dei consilium statuit non quibusuis sed postremis tandem temporibus sanctos per filiū redimere. Id enim per prophetas orbi nunciauit, qui hæc sub postrema tempora prædixerunt futura. Proinde Apostoli non temerè postremorū meminere temporum: quæ & postrema non ideo dicuntur quod finis immineat protinus toti mundo, sed quod postrema sint respectu uisionum & prophetiæ, quæ per Christū implendæ erant. Posterius, quod consiliū et factum Dei à nobis non est culpandū calumniandumue, quod hoc sic fecerit, aut illud tardius fecerit, sed in quouis opere Dei quid aut quare fecerit cogitandum. In præsentiarū cum gratiarum actione expendendū quod quæcunq; Deus per Christum fecit, propter nos fecit: nimirum in hunc finem, ut per Christum cognoscamus Deum, cognitoq; fidamus toto pectore. Nam in Christo declaratur nobis ueritas iusticia atq; bonitas Dei, quibus recte perceptis Deo quàm firmissime adhareamus. Quæcunq; ergo Deus cum Christo egit in hoc egit, ut nos sibi familiares faceret, & æternum bearet. Atq; illud in negotio Christi expendendum est, nō cur tardius miserit, aut quare sanctis patribus nō præstiterit, ut & ipsi

ipsi coram aspicerent eum quem salutis suae crede-
 bant esse authorem. Præterea expendendū quid fe-
 cerit, nempe excitavit illū à mortuis, ut nobis (sicut et
 supra annotatum est) certam faceret immortalitatis
 spem: et hanc ipsi contulit gloriā, ut ppter ipsum ha- Gloria
Christi.
 beremus spem in Deum. Id est eum nobis dedit medi-
 atorem, ut liberū ad Deū haberemus accessum. Nam
 & Paulus ad Roma. 5. dicit, Per Christum nacti su-
 mus aditum fide in gratiam istam in qua stamus &
 gloriamur sub spe gloriæ Dei. Porro si in eo uera &
 unica filij Dei gloria est ut illum credamus & confi-
 teamur eum esse per quem nobis iratum numen pla-
 catum, & aditus ad æternas sedes paratus sit, item
 cuius nomine in conspectum Dei prodire audemus,
 quoties uel peccati onus uel periculorum procellæ
 opprimunt & in profundū demergunt, certè planum
 est illos gloriæ Dei derogare, qui præterito Christo,
 Diuos contendunt esse peccatorum patronos, & ho-
 minum merita hoc est humana commenta parare adi-
 tum ad ædes beatas. Responsum est superioribus ad
 calumnias nostri quoq; sæculi rixatorum, quibus hoc
 potissimum nomine damnatur euangelium, quod iam
 primum sit restitutum. Sed de his aliās.

Qui animas uestras purificastis obes-
 diendo ueritati, per spiritū, cum charis-
 tate fraterna ab omni simulatione aliās

na : ex puro corde uos inuicem diligite impense, renati non ex semine mortali, sed immortalis per sermonem uiuentis Dei & manentis in æternum. Postquã omnis caro quasi gramen est, & omnis gloria hominis, quasi flos graminis: exaruit gramen & decidit flos: uerbum autem Domini manet in æternum.

Verba Petri ad ueritatem Græcanicam ad hunc propemodum modum habent, Castificantes animas uestras, in obedientia ueritatis, per spiritum, ad fraternam dilectionem, quæ sine furo sit, ex puro corde inuicem diligentes uehementer. Cæterum cuius expositum puto quo hæc uerba pertineant, & quomodo cum præcedentibus cohæreant. Dixerat de fide & spe in Dominum, idq; obiter, cum aliàs instituerat dicere de innocentia & sanctimonia uitæ. Verum cum illa non nisi ex fide nascatur, subinde de fide, aliud tamen agens, differit, interim uero ad institutum rediens uicissim ad Sanctimoniam transiit. Eò iam pertinet quod de castificatione (ut sic dicam) animarum profert. Castificatio animorum nihil aliud est, quàm uera sanctificatio, quæ quidem hypocritica est si ex animo non est. Animum ergo addidit Petrus, sed & causam, In obedientia ueritatis per spiritum. Author enim ueræ innocentie & sanctificationis est spiritus Dei:

Veræ sanctimonie notatio per species & affinia.

Dei: qui ex eo nomē adeptus est. Nā scriptura spiritū
 Dei ab effectu spiritum sanctificationis uel spiritum
 sanctum uocat. Qui non quouis modo aut ritu san-
 ctificat, sed in obedientia ueritatis, id est per fidem
 ueram. Illa enim ueritati obedit. Atqui hęc post se
 trahit dilectionem, nec quamuis, sed fraternā, hoc est
 Christianam, quę fucum nescit. Porrò illa fucum ne-
 scit, quę ex puro corde & ἐκτενώσ, id est, intense
 uehementer siue impense diligit proximum. De qua
 multis egit Ioannes apostolus in sua Canonica. Ha-
 ctenus uero descripsit per gradus siue species quasdā
 ueram sanctimoniam, quę consistit in fide, animi pie-
 tate, moribus puris & charitate Christiana: nunc
 ad hanc iterum animat rapitq; argumento ducto à
 renascentia & indole filiorū. Quasi dicat, Renatos
 noua uita decet, nempe ut moribus parentē referant
 è quo nati sunt. Porrò renati sumus nō utiq; carna-
 liter: hoc enim intellexit per semen corruptibile, sed
 spiritualiter, nempe per sermonē uiuentis Dei. Con-
 uenit igitur ut nouam uiuamus uitam, id est sanctam,
 spiritus sancti uirtute & opera institutam. Sermo
 autem siue Verbum Dei, uis Dei & potentia cœlestis
 est, quam apud Ioannem in cap. 3. Dominus cum Ni-
 codemo de hac ipsa renascentia disputans, aquam &
 uentū appellitat. Non quod renascentia uirtute ele-
 mentorum fiat, sed ideo isto dicendi genere usus est,

Renascentia
 tia, *οὐκ*
ἐστὶν
κατὰ
τὸ
κρέμα
τῆς
καρ
νῆς

E

COMMENT. IN I. EPIST.

ut collatione & similitudine rerum terrestrium facilius cœlestia intelligeremus. Renascimur ergo cœlestus spiritu sancto cōuertente & instituyente corda nostra uirtute sua atq; opera uerbi ueritatis, quod ab ipso seruatore nostro apud Matthæum semini confertur fructificanti. Nec caret mysterio & emphasi qđ non dixit, Per uerbum Dei, sed, Per uerbum uiuentis Dei. Significauit enim efficacem et uiuentē uim uerbi agentem in cordibus fidelium. Audiunt quidem & impij uerbū Dei, sed nulla interim uiuifica uis in cordibus eorum. E diuerso per Semen corruptibile & primam natiuitatē intelligit uim hoc est impotentiam carnis, deniq; totam corruptionem generis humani: quam sanè uariæ calamitates uariq; scelera ut renascentiam omnis generis comitantur uirtutes. Atque hic iterum inuenit quo à terrestribus abstrahat ad cœlestia. Nam uerbum Dei æternum, contra uero omnia terrena marcida esse dicit, adducens elegantissimā ex 40. Isaie cap. sententiā. Qua diuinus uates ludæos in Babylonica captiuitate oppressos solatur, pollicens futurum, ut conuulso regno Babylonico ipsi domum redeant. Istud autem præsentī confirmat sententiā, qua totum mortalium genus comparat gramini: in primis uero Babylonem flori, qui tamen emarcuerit. Omnia enim mortalium flaccida, solum Dñi consilium perpetuū & immutabile esse. D. Petrus

Omnis
caro fœd
num. Ver
bum Dei
æternum.

trus hac sententia generaliter usus est (ut reuera & apud prophetam γνώμη καθολικὴ ἐστὶ) aduersus omnem carnis gloriā, opes uidelicet, uoluptates, prudentiam, & quicquid præcipuum est in rebus mortaliū. Cæterū elegans illud miserie humanæ simula- chrum per gramen siue flores & folia adumbratum, etiam Ethnicorum scriptis celebratum extat, Glau- cus enim apud Home. Iliad. 6. ad hunc modum inter- prete Eras. loquitur,

Tale quidem genus est hominum quale est filiorum,
Quorū hæc uentus humi fundit, rursus illa uirescens
Profert sylua simul Veris iam afflauerit aura.

Iam & multa egregia ex hoc loco dogmata discere, Loci com-
munes. uel locos communes licebit annotare. Quæ uel qualis

uera castitas. Qualis esse debeat fraterna charitas. Quod prima natiuitas omnesq; uires carnis nostræ nullæ sunt, quandoquidem ad salutē renascentia opus est. Quid uel qualis sit renascentia. Quod omnia mundana fluida et peritura sint, solum uerbū Domini eternū. Quæ si quis per singulas persequi uelit par- tes iustum penē uolumen conscribet: ego mei officij esse puto ista paucis annotare, consilium uero autho- ris & orationis contextum supersticiosius etiam ob- seruare & ceu digito demonstrare studioso Lectori, qui deinde singula diligentius excutiet atq; perrima- bit, nisi commentarijs abuti uelit.

Hoc autem est uerbum, quod prædicatum est uobis.

Animant
hæc ad
perfeues
tantiam.

Alij Verbum interpretantur Christū, qui æternæ patris uerbum, et in prophetis promissus in fine temporum sit exhibitus. Alij referūt ad Verbū proxime præcedens: nec male. Ut sit sensus, illud quod uobis euangelica prædicatione annunciātū est, illud ipsum Domini uerbum est quod inuito mundo inuitis infernalibus furijs in æternum manebit. Et sanè ut ut mille quingentis hæctenus annis seuerint tyranni & male genij aduersus ueritatem euangelicam, uictrix tamen perstitit semper perstabitq; aduersus omnes insultus Antichristi in finē usq;. Interim uero peribit impiorum mundi & carnis gloria maieestas iactantia & superbia, nec peribit modo in hoc sæculo ipsa impiorum caro floris in morē sensim marcescens, sed in futuras reseruata pœnas sine rerū omnium appetente resuscitabitur, ut æterna, hoc est condigna æternum luat supplicia. Ceterum uideri poterat hæc sententia Petri & docta esse Clausula, qua totam huius i. cap. disputationē clausit, ueluti cum Cicero post copiosam argumentationē qua probauit quod bellum contra Mithridatē sit suscipiendum, tandem, Quare uideate (ait) num dubitandū uobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo agitur gloria nominis uestri &c. Sic enim & Petrus post copiosam disputationem

Summa
euangeliij.

tionē de fide patientia et factimonia Clausulam sub-
ijciens dicit, τοῦτο δὲ ἐστὶ τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγε-
λιον εἰς ὑμᾶς, Hoc autem est illud uerbum quod
euangelizatum est uobis. Verbum autē summam rei
et negotium ipsum dixit, quemadmodum et apud
prophetas legimus, Verbum Domini quod factum est
ad Osee et c. Sensus enim est. Hactenus uero sum-
mam eorum contexui quæ olim uobis per euangelij
prædicationem copiosius sunt exposita. Sunt tamen
hæc nostra, illa ipsa. Si enim diligentius omnia colli-
gas, quæ hactenus audiui in hoc cap. 1. ipsam ha-
bebis euangelij substantiam: nempe quod Deus natus
bonitate ductus, filium suum ad hostiam pro peccatis
mundi destinavit priusquam mundus conditus sit, quodque
hanc suam ineffabilem gratiam prophetis reuelarit,
significans quando hæc essent futura, quando uenturus
Christus, quid passurus, quomodo glorificandus, quæ
omnia temporū plenitudine reuoluta prorsus eo mo-
do completa sint quo cōplenda prædixerat per pro-
phetas. Præscripto enim tempore incarnatū et pas-
sum asserit Christum, qui sanguine suo à peccatis nos
lauerit, spiritumque filiorum dederit, qui ad honesta
impellat, nempe ut in hac fide constantes per patien-
tiam uincamus aduersa, et per ueram sanctimoniam
uitæque innocentiam sed et in charitate fraterna cola-
mus Deum, qui morti genitos regenuit nos in uitæ

COMMENT. IN I. EPIST.

nouæ institutum, & spem uitæ posthac nunq̄ terminandæ. Ita uides quæ fuerit Apostolis ratio prædicandi euangelij peculiaris, & quàm longe lateq̄; ab hac absint istorum Decreta qui Apostolico nomine gaudent, apostolicam autem doctrinam proscribunt & persequuntur.

Cap. II.

Proinde deposita omni malitiâ & omni dolo & simulationibus & inuidentijs & omnibus obreftationibus ut modo nati infantes, lac illud rationale ac doli expers appetite, ut per illud subolefcatis. Siquidem gustastis quod benignus sit Dominus, ad quem accedentes qui lapis est uiuus, ab hominibus quidem reprobatus apud Deum uero electus & preciosus, ipsi quoq̄; uelut uiui lapides ædificemini, domus spiritalis, sacerdotiũ sanctum, ad offerendũ spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.

Eodem & hæc pertinent quo superiora, sed eandem rem dicit, sed mutata orationis figura. Perstat enim in cœpta metaphora siue allegoria, docens quid renatos deceat. Illud porrò aliud non est quàm institutio in sanctimonia et innocentia uitæ. Ad hanc uero institutionem illatione defertur. Quasi dicat:
Proinde